<Distinctio 17>

<Questio secunda>

Secundo quero circa materiam decime septime distinctionis: utrum charitas creata possit augeri per merita.
Et arguitur quod non, quia charitas non potest minui, ergo non potest augeri. Consequentia nota est, cum contraria habeant fieri circa idem. Antecedens [*31vb*] probatur, quia nec per mortale potest minui, quia corrumpitur totaliter, nec per veniale, quia sequitur quod possent tot venialia committi quod tota charitas destrueretur, quod falsum est.
Secundo ad idem: aut ista augmentatio fieret per gradus eiusdem rationis aut alterius. Secundum non potest dari, quia nihil augetur per additionem gradus alterius rationis. Nec primum, quia quod repugnat uni aliquorum eiusdem rationis repugnat cuilibet illius rationis. Sed huius gradus privatio repugnat eius habitationi, ergo repugnat habitationi cuiuslibet eiusdem rationis, ergo uno habito nullo careret et per consequens quilibet haberetur et sic nihil hic augeretur.
Tertio ad idem: quia si posset augeri, sequeretur quod vel preexistens pars augeretur vel pars de novo adveniens vel aggregatum ex utraque. Sed nullum istorum potest dari; ergo etc. Consequentia est nota. Antecedens probatur, quia pars preexistens non est intensior quam ante et pars de novo adveniens non prefuit nec aggregatum ex utraque, ergo etc.
In oppositum est beatus Augustinus in Epistola ad Bonifacium comitem dicens quod “charitas meretur augeri ut aucta mereatur et perfici”. Item, Enchiridion, capitulo 3: “Charitas quanto in unoquoque maior, tanto melior est”. Item, capitulo ultimo: “Crescente charitate descrescit cupiditas.”
In ista questione primo ponam declarationes in generali de formarum intentione. Secundo ponam conclusiones in speciali de presenti questione. Tertio removebo dubitationes cum solutionum positione.

Primus articulus

Quantum ad primum sciendum quod formarum alique sunt divisibiles, alique indivisibiles. Et hoc vel secundum gradus essentiales intensive tantum, sicut accidentia spiritualia, ut puta charitas et similia; vel secundum partes quantitativas tantum, sicut forme substantiales brutorum et aliarum rerum inanimatarum; vel tertio secundum intentionem et extensionem simul, sicut qualitates prime, sicut albedo, nigredo, caliditas, frigiditas, et similia.
Secundo sciendum quod augmentatio potest intelligi tribus modis predictis, ut potest verificari de forma aliqua indivisibili extensive et intensive cuiusmodi est anima.

Tertio notandum quod forme primi ordinis, licet non sint quante et extense, possunt tamen dici quante intensive, quia intendi possunt et remitti in subiecto indivisibili, sicut apparebit ex dicendis.

<Propositiones>

Hiis premissis pono aliquas propositiones. Et sit prima ista: non quantumlibet minima forma secundum extensionem potest naturaliter precise se sola in quantolibet subiecto magno subsistere. Probatur, quia, si sic, sequeretur quod albedo aliqua valde modica posset corpus totius terre naturaliter informare. Patet falsum.

Secunda propositio: non quantumlibet minimum subiectum est alicuius date forme, scilicet b albedinis susceptivum naturaliter. Sit b albedo multum extensa. Probatur, quia alias albedo totius parietis posset naturaliter suscipi in grano milii, quod non videtur verum.

Tertia propositio: in incremento subiecti non potentis suscipere b formam propter sui parvitatem est dare minimum susceptivum. Probatur, quia aut est [*32ra*] dare maximum, quod non, vel minimum, quod sic, vel maximum, quod sic, vel minimum, quod non. Sed primum non potest dari, nec tertium, nec quartum, ergo relinqueretur quod detur secundum. Quod primum non possit dari probatur, quia tunc sequeretur quod foret assignabile ultimum instans in quo subiectum datum quod sit a non est satis magnum ad suscipiendum, quod est falsum. Consequentia est clara, quia in illo instanti non satis est magnum et continue post illud instans esset satis magnum. Falsitas consequentis apparet, quia tunc in illo instanti ultimo quod sit c deficit ipsi a ad hoc ut sit satis magnum aliquod divisibile aut indivisibile. Non indivisibile, ut notum est, ergo divisibile, ergo illud partibiliter acrescit ipsi a continue, ergo per aliquod tempus ultra c instans non erit satis magnum et per consequens c non fuit ultimum instans in quo a non fuit satis magnum. Secundo, quia capio totum tempus in quo a est deficiens et sit illud e et totum tempus in quo est sufficiens. Et sit illud d, tunc d et e sunt continua. Sit ergo instans continuans ista duo tempora f, tunc vel in f a est sufficiens et habetur propositum, quia tunc a est minimum susceptivum. Si est deficiens in f, ergo ultra f erit deficiens. Probatur, ut prius. Et sic f non fuit terminus totius temporis in quo a erat insufficiens contra casum.

Quarta propositio: possibile est esse duas formas equalis activitatis contrarias contra magistrum Gregorium libro I, distinctione 16, questione 3, articulo 2. Probatur, quia hoc non includit aliquam repugnantiam, ergo hoc est possibile.

Preterea, quandoque reperitur caliditas intensior, quandoque remissior quam frigiditas. Et non sine proportione et econtrario, ergo potest una earum tantum intendi et altera remitti quod aliquando erunt equales. Patet, quia quodlibet excedens quantitative et non solum virtualiter potest dividi in equale et excessum, ergo caliditas excedens frigiditatem poterit dividi in caliditatem equalem frigiditati et in excedens frigiditatem, ergo et cetera.

Quinta propositio: tales forme contrarie equalis activitatis applicate equaliter alicui subiecto equaliter ad quamlibet istarum contrariarum disposito vel indisposito agerent in ipsam formam minimam vel nullam. Patet, quia non magis apparet quod una introducat formam similem sibi quam reliqua, cum sint eque active, ergo.

Sexta propositio: possibile est formam aliquam augeri secundum extensionem sine aliquo novo superaddito. Probatur, quia ad solam rarefactionem subiecti potest forma extensive intendi vel augeri, ergo et cetera.

Septima: impossibile est formam augeri secundum intentionem sine aliquo novo superaddito. Probatur, quia, si sic, sequeretur pari ratione quod Deus posset aliquam substantiam facere perfectiorem in duplo, triplo, quadruplo, et sic sine fine absque {*lac.*} de novo superaddito isti substantie, quod non est intelligibile.

Octava: in continua augmentatione forme nulla pars de novo adveniens acquiritur secundum se et quodlibet sui in instanti[1]. Probatur, quia quelibet successive inducitur et partibiliter, alias non esset au-[*32rb*]-gmentatio continua.

Nona: non in quolibet instanti temporis augmentationis continue acquiritur nova pars. Probatur, quia, si sic, sequeretur quod fieret infinita forma per quamlibet continuam augmentationem, quia infinite partes in qualibet continua augmentatione essent quante. Probatur consequentia, quia vel quelibet pars esset equalis alteri et habetur intentum vel posterior semper esset maior priore et tunc magis sequitur propositum, vel posterior continue erit minor, quod non videtur rationabile, quod agens necessario remittat suam actionem continuando.

Decima propositio: non oportet in augmentatione formam preexistentem corrumpi et continue aliam et aliam perfectiorem generari. Probatur, quia forma preexistens et pars adveniens non contrariatur (cum sint eiusdem speciei), ergo adveniens non corrumpit preexistentem nec econverso, nec repugnat eis esse simul, ergo.

Undecima propositio: non oportet quod forma adveniens sit intensior quam precedens adhoc quod preexistens continue augeatur intensive. Probatur, quia, si istud oporteret, sequeretur quod per merita parva nullus posset augere charitatem, quod est falsum.

Item, sequeretur quod nullum agens uniformi actione posset aliquid augere continue.

Duodecima propositio: in augmentatione secundum intensionem continue est aliqua forma totalis composita ex parte superaddita et preexistente que remanet post. Patet, quia alias non esset possibilis augmentatio, ut videtur.

Tredecima propositio: nulla forma partialiter secundum se totam et quamlibet eius partem acquiri potest in subiecto ipsa totaliter et qualibet simili in specie carente. Probatur supposito quod contraria naturaliter non possunt esse simul, etc. Tunc sit b nigrum quod debeat fieri album. Arguitur sic: per prius est nigredinem corrumpi et totaliter non esse in b quam albedinem vel quamcumque partem ipsius esse in b saltem in eadem parte. Patet per

[1] Instanti] instenti *a.c.*

suppositum, ergo, cum sit dare ultimum instans nigredinis, sequitur quod erit dare primum instans albedinis in ea parte b in qua primo non est nigredo, ergo aliqua pars albedinis est primo introducta simul et non partibiliter, quod fuit probandum. Et maxime ista propositio habet veritatem ubi subiectum est sub forma contraria.

Secundus articulus

<Conclusio prima>

Quantum ad secundum articulum sit prima conclusio ista: in quolibet augmento formali charitas successivo vel continuo secundum intentionem fit {*dub.*}ex forma preexistente et noviter acquisita charitas seu forma perfectior vel intensior.
Probatur, quia isto modo dicitur augeri vel crescere quelibet forma secundum intentionem et non aliter, sicut patet ex propositionibus premissis in primo articulo, ergo conclusio vera.

<Correlaria>

Ex qua sequitur correlarie primo quod in continuo cremento vel augmento charitatis nulla pars charitatis de novo advenientis simul secundum se totam acquiritur. Sed quelibet partibiliter et succesive. [*32va*] Probatur, quia, si aliqua pars in tali augmento acquiritur tota simul et in instanti, eadem ratione in quolibet alio instanti acquireretur aliqua pars, et sic in fine esset charitas infinita, quod est falsum. Consequentia patet ex propositionibus octava et nona.
Secundo infero quod in tali intentione charitatis non est dare primum intensum esse. Patet, quia quodlibet intensum esse successive fit vel totum simul, ut dicit correlarium precedens, ergo, cum quodlibet motum esse precesserit moveri, sequitur quod quodlibet intensum esse precesserit intendi.

<Conclusio secunda>

Secunda conclusio: sicut solus Deus charitatem creatam infundit, ita solus Deus ipsam intendit secundum proportionem meritorum que acceptat. Probatur, quia creatura nullo modo effective ad charitatem potest attingere, quia a solo Deo creabilis est secundum doctores, sicut et intentione sanctorum pulchre innuit Doctor Luculentus magister Hugolinus, libro I, distinctione 14, questione 1, articulo 1, sic ipsam charitatem describens: “Charitas est habitus supernaturalis cum Deo actuante specialiter mentem totam actualiter inclinans et partialiter {*dub.*} et est cum causa respectu operari mentis melioratim ac ex acceptatione divina formaliter karismans, id est caram reddens”. Ex prima enim particula huius descriptionis apparet quod charitas est a solo Deo creabilis nec potest virtute naturali acquiri habitus consimilis taliter inclinans.

<Correlaria>

Ex ista conclusione infero correlarie quod in tali augmentatione charitatis soli Deo attribuibilis nulla pars ad aliam habet aliquem ordinem essentialem. Patet istud ex quo a solo Deo intenditur secundum proportionem meritorum (que acceptat Deus) unam partem preponit. Sed posset istam quam ponit prius ponere posterius, cum libere agat; ergo etc.

<Conclusio tertia>

Tertia conclusio: stat aliquod subiecto continue fieri magis tale per aliquam formam per divinam potentiam, et tamen nullam formam in dicto subiecto intendi. Probatur, quia possibile est plures albedines uniri huic ligno absque hoc quod uniantur inter se (cum alia sit unio eorum ad subiectum et alia sit unio ipsarum adinvicem). Si ergo sic uniret tres albedines vel plures huic ligno successive non uniendo eas adinvicem fieret illud lignum continue albius, et tamen sine aliqua intentione albius; ergo conclusio vera.

<Correlarium>

Ex qua infero correlarie quod possibile est aliquem continue fieri magis charum Deo nulla charitate crescente in eo. Istud correlarium patet ex conclusione.

<Conclusio quarta>

Quarta conclusio: possibile est aliquam formam informantem aliquod subiectum continue intendi, et tamen illud subiectum magis tale non fieri. Probatur supposita imaginatione quod sint tres albedines, scilicet a, b, c, vel plures in uno subiecto et continue adinvicem unirentur. Tunc fieret ibi intentio et tamen subiectum non diceretur magis tale, quia ante unionem istarum albedinum fuit tale informatum tota illa albedine et nunc non est informatum maiori, ergo.

<Correlaria>

Ex qua sequitur correlarie quod possibile esset charitatem Socratis continue intendi et fieri maiorem, et tantum Socrates non fieret magis charus Deo quam ante, etiam si so-[*32vb*]-la charitate creata diceretur charus. Probatur, si in Socrate essent tres gradus charitatis vel tres charitates et deducitur ut precedens conclusio.

Secundo sequitur ex conclusione quod Deus posset facere quod hec consequentia non valeret de virtute sermonis: Socrates habet intentiorem charitatem quam Plato, igitur este melior quam Plato (supposito quod uterque propter charitatem dicatur bonus). Apparet istud correlarium, quia secundum imaginationem predictam, si Socrates habeat tres charitates equales, Plato autem unam duplam ad charitatem unam Socratis, tunc notum est quod Socrates est melior Platone, quia plus habet de charitate, et tamen Plato habet maiorem charitatem quam Socrates, quia Socrates nullam habet ita magnam sicut Plato, ut patet per casum; ergo correlarium verum.

<Conclusio quinta>

Quinta conclusio: charitas creata augetur vel augeri potest per merita ad istum intellectum quod de communi lege Deus auget charitatem viatoris dum agit opera meritoria que Deus acceptat ad eterna premia.
Ista conclusio est de intentione sanctorum, ut patet ex auctoritatibus Augustini allegatis in proponendo questionem.
Patet etiam, quia inter bonos ita est quod unus est alio melior et quandoque incipit esse melior ipsi Deo. In hoc autem stat augmentum charitatis, ut notat Augustinus Enchiridion, capitulo 17.

<Conclusio sexta>

Sexta conclusio et ultima sit ista et est magistri Hugolini in forma, ubi supra: quodlibet operari charitativum quanto distantius est a peccare mortaliter, tanto est acceptius Deo, et per consequens magis augmentativum charitatis.
Pro cuius probatione sumo duas propositiones ex dictis Augustini circa finem libri De Spiritu et littera ad Marcellianum.
Prima est: quanto magis delectat animum iustitia seu iuste operari, tanto ab iniustitia receditur et a peccare mortaliter.
Secunda: quanto animus delectabilius iuste operatur, tanto est operari Deo acceptius, quia nihil acceptat Deus nisi propter amorem et complacentiam quam operans iuste habet.
Ex istis patet veritas conclusionis.

<Correlaria>

Ex qua sequitur correlarie quod quodlibet operari charitativum quanto magis separat animum a cupiditate temporalium, tanto perfectius conformatur inclinationi charitatis intensive. Patet, quia inclinatio charitatis est in Deum et quanto animus ex tali inclinatione plus elongatur a sollicitudine temporalium, tanto proximior fit Deo; et per consequens quanto magis opus

bonum utputa oratio plus separat animum a cupiditate temporalium, tanto magis conformatur inclinationi charitatis.
Ex quo sequitur quod penes sequi inclinatione charitatis contra cupiditatem debet attendi augmentatio charitatis.
Ubi pro complemento istius articuli est notandum quod inclinatio charitatis potest dupliciter considerari. Uno modo quoad extensionem actuum eiusdem perfectionis, alio modo quoad intensionem actuum minoris et maioris perfectionis. Et istis duobus modis potest fieri et considerari augmentum charitatis. Una enim intensio, scilicet intensiva, est ad plus et alia est ad plures, ut verbi gratia, si quis inclinatur ad fruendum Deo et ad actum magne devotionis et cum hoc inclinatur ad diligendum filios inordinate que est inclinatio cupiditatis sive que est diligere propter temporale commodum, non tamen quin [*33ra*] mallet eos perdere quam Deum quamvis intensive diligat, potest tamen extensive intendi et perfici eius charitas, ut scilicet non afficiatur ad temporalia commoda inordinate, sed diligat filios ordinate. In tali enim augmentatur charitas extensive. Sed, si deveniat homo ad tantum, ut sequatur inclinationem charitatis ad difficiliorem actum, ut ad contemnere totaliter temporalia nec quicquam negligere amore Dei, immo etiam pro inimicis animam velle ponere, id est vitam corporalem, tunc in isto intensive augmentata est charitas usque ad tantam perfectionem quod tota diminuta est cupiditas que est actualis inclinatio seu quoddam premere mentem vel volitiva est ad dilectionem temporalium non propter Deum. Et hoc continue ex viciosis operibus crescit, unde est venenum charitatis cum scilicet aut timore incommodi vel pene aut amore commodi temporalis aut ex utroque non in Deum quis inclinatur in operari. Charitas autem inclinat ad contrarium. Ideo quantum ad inclinationem et secundum effectus contrarie opponuntur.
Et hoc pro secundo articulo.

Tertius articulus

Quantum ad tertium articulum respondeo primo ad argumenta principalia deinde movebo dubia, unde pro solutione primi principalis sit hic prima propositio: sicut Deus solus charitatem creatam potest augere, ita solus potest eam minuere et annichilare quoad ipsius charitatis essentiam. Supposita veritate prime partis (que ab omnibus communiter est concessa) probatur secunda pars quoad primam exponentis seu preiacentis, quia quelibet forma habens partes graduales potest remitti vel diminui sicut potest intendi. Sed charitas est huiusmodi; ergo. Secunda exponens probatur, quia cuiuslibet entitatis divisibilis secundum partes graduales Deus potest destruere unam aliam conservando inesse. Et nulla creatura sufficit ad charitatem intendere, sicut dictum est in secundo articulo et in secunda conclusione; ergo nulla creatura sufficit diminuere vel remittere charitatem.
Secunda propositio: de communi lege Deus nunquam minuit charitatem pro quocumque peccato sive veniali sive mortali quoad essentiam. Patet ex argumento facto.

Tertia propositio: charitas minuitur quantum ad actus fervorem et quantum ad inclinationem ad actum bonum propter peccata venialia. Probatur, quia ex frequentatione venialium generatur cupiditas habitualis inclinans ad actus qui sunt peccata venialia, ergo propositio vera. Antecedens patet, quia quanto habitus cupiditatis est maior, tanto voluntas minus ferventer diligit Deum, sicut quilibet experitur in se ipso, quia quanto se plus applicat negotiis secularibus (etiam si sine culpa faciat), tanto minus ferventer diligit Deum. Ista propositio est Doctoris Solemnis et multorum aliorum. Per hoc ad formam argumenti negatur assumptum si intelligatur simpliciter. Si autem intelligatur de communi lege, negatur consequentia. Et ad probatione dicendum est quod non oportet de communi lege si unum contrariorum accidit alicui quod sibi de communi lege possit convenire reliquum. Et ideo, licet charitas de communi lege posset augeri quoad essentiam, non tamen posset diminui eadem lege.

Pro secundo argumento sit ista prima propo-[*33rb*]-sitio: non quicquid repugnat uni individuo alicuius speciei repugnat cuilibet individuo eiusdem speciei. Patet ista, quia dilectio que est in mente mea qua diligo Petrum repugnat odio Petri in me, et tamen non repugnat odio alterius hominis similis Petro in specie. Stare enim potest simul in me dilectio Petri et odium Socratis.

Secunda propositio: habitio unius charitatis create non repugnat privationi alterius nec econverso. Patet ista de se. Per hoc ad formam argumenti conceditur quod augmentatio fit per gradus eiusdem rationis et ad probationem quod non negatur maior.

Ad tertium argumentum conceditur conclusio de virtute sermonis, quia proprie loquendo nulla charitas illo modo augetur, ita quod fit aliqua charitas que eadem numero et adequate sit modo maior que prius fuit minor. Sed tamen caritati precedenti additur caritas alia eiusdem speciei que simul cum ea constituunt unam charitatem maiorem intensive quam eius pars que prefuit, prout habet Gregorius libro I, distinctione 17, questione 4, articulo 4, et hoc etiam habens ex prima conclusione secundi articuli huius questionis.

Hoc premisso dubitatur de quodam supposito in primo argumento, scilicet utrum forme contrarie se possint compati secundum aliquos gradus in eadem parte subiecti. Et videtur quod sic, quia seundum Philosophum VI Physicorum: “Omne quod movetur partim est in termino a quo partim in termino ad quem, quia omne quod movetur de contrario in contrarium habet aliquid utriusque contrarii”.

Secundo sequitur quod quando per motum continuum destrueretur unum contrariorum esset dare primum instans forme succedentis ad quam fit motus. Consequens est falsum et contra Aristotelem VI Physicorum. Probatur consequentia, quia aliter esset subiectum in aliquo instanti sine utroque contrariorum.

Tertio agens naturale non remittit calorem in subiecto nisi creando in ipso aliquod incompossibile calori. Sed nihil est tale nisi frigus; ergo etc.

Confirmatur istud agens naturale et patiens sunt simul, alias unum non ageret in aliud.

Quarto quando unum contrariorum agit in reliquum vel in subiectum utriusque receptivum. Manifestum est, quia forma indivisibilis non subito introducitur in principio. Modo queritur

unde hoc non potest dici quod proveniat ex incompossibilitate partium forme per motum introducende, quia in fine sunt simul. Nec potest poni huiusmodi causa insufficientis agentis, quia ponitur agens sufficientissimum nec hoc est propter subiectum recipiens. Relinquitur ergo quod sit causa contraria in subiecto repugnans forme introducende. Hoc fuit probandum.
Propter istas et consimiles rationes dicunt multi quod contraria oportet esse simul in gradibus remissis quas rationes adducit Gregorius libro I, in questionibus de formarum intentione, questione 3.
Oppositum supponebatur in probatione conclusionis 13 primi articuli, quod non obstantibus rationibus predictis sustineo tanquam magis consonum veritati.

Unde respondendo ad dubium pono quattuor conclusiones.
Prima conclusio: forme contrarie secundum gradus intensos et summos, si sint possibiles, possunt se compati per divinam potentiam. Probatur: non est magis impossibile quod aliquod subiectum sit summe album et summe nigrum sive etiam quod sit summe calidum et summe frigidum quam quod idem simul moveatur localiter et quiescat localiter. Patet illa cum utrobique videatur equalis repu-[*33va*]-gnantia. Sed secundum est possibile, quia de facto anima intellectiva movetur in manu et quiescit in pede et idem corpus Christi movetur in altari et quiescit in celo; ergo primum est possibile.
Preterea, si Deus poneret idem corpus in diversis locis, illud corpus in uno loco posset habere unam formam et in alio aliam contrariam, ergo hoc est possibile. Antecedens probatur, quia si Deus poneret istud lignum in duobus locis et in uno loco approximaretur et ignis et in alio aqua indebita approximatione non videtur quin utrumque ageret, ergo.
Preterea, Deus posset activitatem utriusque contrariorum suspendere, et sic tolleret eorum repugnantiam. Quo facto non plus sibi repugnarent illa duo contraria in uno subiecto quam albedo et dulcedo in lacte.

<Correlaria>

Ex qua sequitur correlarie quod predicta contraria non inferunt predicta contradictoria. Patet, quia, si secundum conclusionem idem subiectum esset calidum et frigidum, hec consequentia non valeret: a est frigidum et calidum, ergo a est calidum et non calidum. Antecedens enim est possibile et consequens simpliciter impossibile.
Item, non sequitur corpus quiescit, ergo non movetur. Nec sequitur movetur et quiescit simul, ergo movetur et non movetur simul. Hec omnia patent ex hiis que fide tenemus nec mirandum si auctoritates philosophi videntur contradicere veritati fidei nostre, quia ipse fide caruit et forte naturaliter sic est quod dicte consequentie essent bone, licet per miraculum et Dei potentiam possunt falsificari.

Secunda conclusio: de potentia agentium creatorum contrarie qualitates se non possunt compati in eadem parte subiecti adequate nec in gradibus intensis nec remissis. Primum conceditur ab omnibus, scilicet quod non in gradibus intensis. Sed quod nec in gradibus remissis probatur, quia gradus intensi et remissi sunt eiusdem rationis, quia, si albedo ex sui natura contrariatur nigredini, ita contrariatur in gradu remisso sicut intenso; ergo, si non possunt se compati in gradibus intensis, non poterunt pari ratione se compati in gradibus remissis. Plures alias rationes facit ad hoc Gregorius ubi supra, vide ibi.

Tertia conclusio: non oportet quod in quolibet motu continuo terminus a quo et terminus ad quem sint contrarii positive. Probatur, quia in motu intensionis forme termini sunt eiusdem rationis, scilicet pars forme preexistens a qua incipit intensio et pars adveniens ad quam fit intensio. De motu dico qui est privatione in habitum termini acquirendi qui proprie sunt termini in omni motu.

Quarta conclusio: in quolibet motu oportet quod termini sint contrarii privative. Probatur, quia nihil movetur ad terminum quem habet, ergo oportet quod mobile secundum quamcumque formam privetur parte acquirenda per motum. Apparet etiam hec conclusio, quia quamdiu est intensio tamdiu est privatio respectu alicuius acquirendi et habitus respectu alicuius acquisiti. Continue enim aliquid est acquisitum et aliud restat acquirendum.

Per hec ad rationes dubii ad primam dico cum Gregorio eadem, distinctione, questione 3, articulo 2, in solutione tertii argumenti, quod ad moveri de contrario in contrarium sive aliquid existens sub una forma contraria transmutari in aliam potest dupliciter intelligi. Uno modo quod magis perficitur per formam contrariam acquirendo partem post partem essentie forme contrarie. Alio modo dici potest moveri ad formam contrariam non sic, sed quia continue magis disponitur ad formam contrariam.

Tunc dico quod omne [*33vb*] quod movetur de contrario in contrarium primo modo habet aliquid utriusque contrarii, non tamen secundum eandem partem sui. Sed una pars moti est sub una forma contraria et alia sub alia et continue secundum aliam et aliam sui partem acquirit aliam et aliam partem forme contrarie et perdit partem prioris, sicut in motu locali. Et hec est intentio Philosophi VI Physicorum ubi allegatur. Secundo modo moveretur de contrario in contrarium minimum calidum vel frigidum (si daretur), quia continue magis disponeretur ad susceptionem forme introducende et in instanti terminante dispositionem illam introduceretur forma ad quam fuisset dispositio. Et ex nullo istorum sequitur quod contradictoria sint simul in aliquo gradu.

Ad secundum conceditur consequens, scilicet quod sit dare primum instans forme succendentis ad Aristotelem dicendum quod loquitur et intelligit de acquisitis per motum modo dicta pars forme introducitur subito et non partialiter, ut dictum fuit in primo articulo. Concordant in hoc Adam et Ockham.

Ad tertium dico quattuor propositiones.

Prima: agens anturale quandoque intendit formam sine corruptione contrarii positivi. Patet ista de agente naturali luminoso quod intendit lumen in medio et tamen nihil corrumpit, cum non inveniat contrarium.
Secunda: agens naturale potest corrumpere formam successive absque hoc quod introducat formam contrariam in eodem subiecto saltem indivisibili secundum extensionem, cuiusmodi est anima intellectiva. Patet, quia potest corrumpere unum oppositum absque hoc quod introducat contrarium et etiam frigiditate successive absque hoc quod introducat caliditatem nisi in fine totalis corruptionis frigiditatis.
Tertia: per prius est corrumpi formam unam in toto subiecto vel parte quam contrarium introduci in eodem etiam partialiter vel totaliter.
Quarta: per prius est agens corruptivum alicuius forme in aliquo subiecto agere in subiectum quam formam ipsam expelli. Per hoc ad formam maior est neganda, ut patet per secundam propositionem.
Ad quartum dico quod divisio non est sufficiens, unde cum queritur causa quare agens non introducit subito formam indivisibilem in subiecto, potest responderi quod pro causa sufficit limitatio agentis quod non potest agere nisi per motum. Isto modo respondet Elyphat qui ponit quod nulla creatura potest agere aliquem effectum subito, questione 6. Tamen dico aliter quod hoc provenit propter virtualem repugnantiam, id est propter repugnantem dispositionem in passo et non necessario requiritur formalis repugnantia, unde, si aqua non esset frigida formaliter nec etiam calida, adhuc non posset subito tale fieri naturaliter propter virtualem repugnantiam aque que secundum sui naturam inclinatur ad frigiditatem. Ideo, si Deus subito annihilaret frigus aque et approximaretur igni, non subito calefieret.
Secundo dubitatur contra secundam conclusionem principalem et sextam simul in articulo secundo positas quibus dicitur quod Deus, secundum proportionem meritorum, auget charitatem, et sic charitas augetur per opera meritoria. Contra: si hoc esset verum, sequitur quod aliquis posset tantum continuare merita sua et tamdiu vivere quod acquireret maiorem gratiam quam habeat aliquis beatus [*34ra*] vel etiam Christus. Istud est falsum; ergo.
Secundo sic: si charitas[2], sequitur quod, si Socrates mereatur continue usque ad instans mortis sue quod nunquam in vita sua habuerit summum gradum gratie vel charitatis sibi collate in vita sua etc. Probatur, quia continue merebatur et per consequens continue charitas augebatur. Sed istud consequens videtur falsum; ergo.
Tertio: si merita, augerent charitatem dicto modo etiam charitas augeret meritum et econverso alternatim, ex quo sequeretur quod contingeret dare vel meritum quod non causaret habitum et sic contra conclusionem vel habitum qui non efficeret meritum, quod non stat cum casu posito, scilicet quod quis mereatur usque ad instans mortis sue. Oppositum dicunt conclusiones quas teneo non obstantibus rationibus istis.
Pro quarum responsione pono quattuor conclusiones.

[2] Si charitas] charitas si *corr.*

Prima conclusio est: de lege nunc currente est dare minimam charitatem sufficientem ad salutem, quia quilibet salvandus vel equalem vel maiorem habebit vel habet et non minorem patet de gratia baptismali vel circumcisionis que equalis est in omnibus.
Secunda conclusio: nulla est maxima gratia de lege communi dabilis ultra quam viator non possit proficere. Probatur, quia oppositum est error, ut probatur extra De hereticis libro VI, in capitulo 'Ad nostrum'.
Tertia conclusio: non videtur inconveniens quod viator aliquis in via habeat maiorem charitatem habitualem quam habeat beatus in patria. Probatur, quia videtur rationabile quod beatus Petrus vel beata Maria dum essent in via habuerunt maiorem quam puer baptizatus et sine actuali merito discedens. Tamen dico quod non obstante conclusione nullus viator, ut sic quantumcumque plenus charitate potest de communi lege in tam nobilem actum dilectionis sicut minimus beatus in regno celorum. Et hoc est propter obscuram Dei cognitionem in via.
Quarta conclusio: de communi lege nullus poterit attingere ad equalem gratiam quantumcumque continuet merita quantam habuerit Christi anima. Ista patet per omnes et per Magistrum libro III.
Ex istis patet responsio ad argumenta, unde ad primum consequentia potest concedi pro prima parte consequentis , ut dicit conclusio tertia. Sed neganda est quandum ad secundam partem, cum dicitur vel Christus, ut patet ex quarta.
Ad secundum admittatur casus et conceditur conclusio, quia est vera. Supposito casu predicto, quia, si aliqua fuisset maxima charitas quam habuit in vita sit illa a, tunc sic per te Socrates habuit gratiam a ante mortem qui tamen continue merebatur usque ad instans mortis sue, ergo Socrates in aliquo instanti ante instans mortis habuit a, tunc sit illud instans in quo Socrates habuit a in vita sua b et instans mortis c, tunc inter b et c cadit tempus in quo Socrates continue merebatur; ergo ultra a merebatur et per consequens a non fuit maxima charitas.
Et, si dicas Socrates premiabitur secundum charitatem proportionabiliter quam habet et meruit in vita et suum premium est determinatum, ergo et sua charitas [*34rb*] fuit determinata et per consequens illa sic determinata fuit maxima.
Respondetur quod summus gradus premii Socrates non est secundum proportionem alicuius charitatis summe habite in vita sua. Sed, secundum gradum quem habet in primo instanti mortis in anima et quem habuisset si in illo supervixisset, qui vult videre de hac materia respiciat Adam libro II, questione 2, articulo 2, in solutionibus obiectionum.
Ad tertium concedatur supposito casu priori quod continue actus causat habitum novum vel novam proportionem que cum priori coniuncta coefficit actum alium continue sic alternatum. Et, cum dicitur quod contingeret dare meritum quod non causaret habitum vel econverso, dico quod non. Et ratio est, quia non est dare statum quamdiu vivit talis sic merita sua continuans usque ad mortem neque est devenire ad ultimum actum nec ad ultimum habitum, sicut posset probari per argumentum factum de maxima gratia. Sed bene est status ad maximum habitum quem habet Socrates in primo instanti mortis sue. Et sic est finis huius dubii.

Sed dubitatur an actus meritorii vel demeritorii sint precise in primo instanti sui esse meritorii vel etiam demeritorii. Et dicunt quidam quod solum in primo instanti. Nam tunc est liber et necessario durat per tempus antequam possit suspendi et tunc in instanti in quo potest non esse simpliciter et nihilominus continuatur est meritorius et per consequens in illis instantibus primo et ultimo fit augmentum vel intentio charitatis. Pro responsione dico propositiones.

Prima est: per operari meritorium habens primum instans meretur quis aliquem latitudinem charitatis vel premii que sibi correspondet pro tota mensura temporali pro qua non libere temporaliter conservatur. Probatur: nam in illo instanti (sit b) iuste operatur et melioratur et, si post b instans esset extra viam, imputaretur sibi et premiaretur illa latitudine premii quam meruit in primo instanti. Et, si per tempus quo necessario conservat viveret, non aliter imputaretur sibi, ergo. Unde pro regula dat magister Hugolinus quod, si a operari inceptum in b, necessario totum conservatur a voluntate per aliquod tempus vel si non sic. Sed in b potest remittere ipsum a et intendere similiter, tunc, si continue intendit a aut non remittit quantum potest, continue meretur.

Secunda propositio: contingit dare mereri temporale et demereri similiter. Patet, quia potest intendi ipsum meritorie operari temporaliter et potest esse in tali operari aliqua continuatio libera, ergo talis continuatio imputabilis sibi erit ad primum premium et similiter dicitur de demereri proportionabiliter.